JAHRESBERICHT

über das

Königliche Gymnasium zu Aachen

für das Schuljahr 1883/84.



Erstattet

VON DEM DIREKTOR DES GYMNASIUMS

Dr. Heinrich Schwenger.

Hierbei eine Abhandlung unter dem Titel: EURIPIDEA. I. SCRIPSIT IOSEPHUS KLINKENBERG.

1884. Progr. Nr. **382.** Druck von *F. N. Palm* in Aachen.

Fabulas aliquot Euripideas iam pridem ita eram tractaturus, ut cum singulos locos ab editoribus et interpretibus minus intellectos explicarem et emendarem tum maiores quæstiones, quæ aut totis fabulis aut partibus quibusdam lucem afferre possent, instituerem. sed schedæ premebantur seriniis frustraque exire cupiebant, dum classis numerosæ ,occidit miserum crambe repetita magistrum'. valde autem optanti mihi cecidit, ut huic libello scholastico præfari iuberer. itaque viris doctis nunc quidem unam fabulam perlustratam propono: quodsi meam operam probaverint, ceteras subseouturas esse promitto.

ION TRACTATVR

I Quo ex tempore viri docti Ionem Euripideam interpretari coeperunt, huius fabulæ res scaenicae mirum quantum mentes cogitationesque eorum in se converterunt; neque enim solum per se materiam ad tractandum dignissimam præbere, sed etiam ad antiquitates Delphicas cognoscendas et illustrandas plurimum conferre videbantur. multæ variæque ut in re difficillima neque una ex parte subobscura prolatæ sunt sententiæ; aliquot neque rerum natura neque causis ex ipso poeta petitis satis munitæ tantam procedente tempore assecutæ sunt auctoritatem, ut nunc temere credantur. quare istam materiam perpetuam iterum tractare quidque sciri quid nesciri posset accurata poetæ interpretatione indagare mihi proposui.

gravissimum igitur scænæ cum Ion Athenis ageretur ornamentum fuit templum Apollinis Delphicum ad medias valvas exstructum. quod ex obliquo spectatorum oculis subiectum fuisse docuit Schœnbornius[1]), cuius sententiam ita amplexus est Enthovenus, ut eum templi angulum, qui est inter ortum solis et septentriones, spectatoribus adversum fuisse diceret[2]). ad hanc tamen quæstionem qui libero iudicio aggreditur facere vix potest, quin istud vere dici neget. quid? si Ion Xuthus Pythia non exadversus theatrum, sed e sinistra proscænii parte templum intrarent relinquerentque; si personæ aut fabulæ leges secutæ in sinistro pulpiti cornu agerent aut, quod scænæ natura poscit, area templi relicta medium pulpitum occuparent, nonne hæc omnia spectatoribus nova inopinata inaudita viderentur? quid vero? chorum, qui v. 510 *ἀμφὶ κρηπῖδας δόμων* — ad portam certe templi — Xuthi reditum exspectat, quomodo tibi in orchestra dispositum fingis? videmus

---

1) *die Skene der Hellenen* p. 177.

2) de Ione fabula Euripidea quæstiones selectæ p. 42.

templum, quod in hac fabula primarium scaenæ decus est, ex obliquo spectatoribus oppositum contra rerum naturam pugnare. sed illud præter omnium opinionem non dixissent viri docti nisi gravissima quam illi quidem putabant causa moti.

chorus enim virginum Atheniensium, quæ Creusam reginam Delphos comitatæ erant, orchestram intrans contemplatur describitque imagines quasdam, quas in scæna conspicit (v. 190—218). sunt autem hæ: Hercules hydram Lernæam, Bellerophon Chimæram occidens; præterea e Gigantomachia Minerva Enceladum, Iuppiter Mimantem, Bacchus alium gigantem cædens. quæ imagines quo loco qualesque fuissent, acerrimum inter viros doctos certamen ortum est. alii enim pictas in porticu quadam, alii in lapidem incisas esse voluerunt [1]), unus de tympani sculpturis, pronai picturis cogitavit [2]); nec defuit qui ad textiles picturas in hyposcænio suspensas referret [3]). vicit denique Welckeri sententia, qui in commentatione egregia quæ inscribitur *,die Vorstellungen der Giebelfelder und Metopen an dem Tempel zu Delphi'* istas imagines quinque metoparum templi Delphici sculpturas esse contendit [4]); quam suspicionem ante Welckerum iecerant neque satis probaverant Stuartius [5]) Müllerus [6]) Ulrichsius [7]). cum autem Welckeri iudicium tanto virorum doctorum plausu reciperetur, ut nemo præter Schœmannum [8]) obloqui auderet, duæ tamen res satis miræ videbantur. primum enim Welckerus chorum m e t o p a r u m imagines describentem fecerat; quid erat quod non potius tympani figuras multo maiores ampliores que commemoraret et describeret? præterea cum quinque illæ metoparum imagines propter fabularum quas tractabant diversitatem in uno templi latere fictæ esse non possent, Welckerus Herculem in parte antica, Bellerophontem in altero longiorum templi laterum, Gigantum pugnam in altero collocaverat. qua in re illud parum videbatur considerasse tria templi latera a spectatoribus conspici non potuisse. hæ igitur ut quodammodo tollerentur difficultates Welckeri asseclæ templum Delphicum tam mirum in modum spectatorum oculis obiectum esse voluerunt.

quare eo omnis hæc redit quæstio, utrum probemus Welckeri de quinque metoparum imaginibus iudicium necne. equidem poetæ ipsius verba non modo non favere illius sententiæ, sed aperte cum ea pugnare quam confidentissime affirmo. duæ autem sunt res quæ ex iis sine ulla dubitatione concluduntur:

1) n o n u n u m i m a g i n u m g e n u s, q u o d v o l u i t W e l c k e r u s (metopæ), s e d d u o g e n e r a v e r s i b u s 190—218 d e s c r i b u n t u r. quod tam multos viros doctos fugisse non satis possum mirari. chorus enim, postquam Herculem et Bellerophontem descripsit, pergit v. 205: παντᾳ τοι βλέφαρον διώκω; quæ verba probant sine dubio Gigantum pugnam, cuius subsequitur demonstratio, non eodem loco esse quaerendam atque eas quæ

[1]) cf. Musgravium in adnotationibus ed. Beckianæ tom. III p. 574; Bœckhium de trag. Gr. princ. p. 191; GHermannum in ed. huius fab., Hartungum Eur. rest. I p. 80.

[2]) Hartungus in ed. huius fab.

[3]) Genellius, *das Theater zu Athen* p. 71.

[4]) mus. Rh. n. s. I p. 1 sq. = *alte Denkmäler* I.

[5]) *antiqu. of Athens* III p. 3.

[6]) *die Dorier* I p. 432.

[7]) *Reisen und Forschungen in Griechenland* I p. 72.

[8]) opusc. acad. IV p. 84.

præcedant imagines [1]). forsitan quispiam dixerit huic rei satis consuluisse Welckerum, cum metoparum imagines in tribus templi lateribus disposuerit. cui etsi optimo iure respondeas non facile oculis motis (*βλέφαρον διώκω*) imagines duorum aut trium templi laterum conspici posse, sed opus esse loco mutato, habeo tamen causam, qua Gigantomachiæ genus diversum certissime probetur. subsecuntur enim hæc: *σκέψαι κλόνον ἐν τείχεσι λαΐνοισι Γιγάντων.* quamquam *τείχεσι* aperte depravatum est, quod metricæ rationes docent, tamen aut locum Gigantomachiæ aut genus verbis *ἐν τείχεσι λαΐνοισι* a poeta indicatum esse nemo poterit negare. iam si Gigantum pugnam non minus quam Herculem et Bellerophontem in metopis incisam fuisse sumemus, nonne stultissimus dicendus erit poeta, qui duabus imaginibus descriptis ad tertiam demum locum vel genus significaverit? adde Gigantomachiæ locum diversum: num hanc quoque inter metopas quaeres? accedit aliud indicium ut mihi quidem videtur non contemnendum. parodum enim ita instituit Euripides, ut alterum hemichorion imagines ostendat et describat, alterum interpretationibus illius respondeat. versu autem 205, quo incipit Gigantomachiæ descriptio, hemichoria partes mutant: quod antea responderat hemichorion, describit, quod descripserat, respondet [2]). nonne id ipsum diversa imaginum genera indicare videtur? Herculem contra et Bellerophontem cur disiungamus inter se nullam video causam; ad idem igitur genus refero.

2) non quinque imagines sed tres describit chorus v. 190—218; Gigantomachiam una imago complectitur. quod nisi viri docti opinionibus quibusdam præoccupati secus statuissent, operæ pretium non esset probare. nam cum chorum audias canentem: *σκέψαι κλόνον ἐν τείχεσι* (?) *λαΐνοισι Γιγάντων,* quis est quin de una imagine *κλόνον Γιγάντων* repræsentante cogitet? atque in unam imaginem oculos suos convertit altera chori pars cum respondeat: *ὧδε* (i. e. *πρὸς κλόνον Γιγάντων*) *δερκόμεϑ', ὦ φίλαι.* iam illæ quæ antea universam imaginem sociis monstraverant, oculos earum ad singulas partes eminentes referunt:

209 *λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ*
γοργωπὸν πάλλουσαν ἴτυν;
212 *τί γάρ; κεραυνόν*
ἀμφίπυρον ὄβριμον ἐν Διός
ἐκηβόλοισι χερσίν;
216 *καὶ Βρόμιος ἄλλον ἀπολέμοισι*
κισσίνοισι βάκτροις
ἐναίρει γᾶς τέκνων ὁ Βακχεύς.

formulas loquendi *οὖν, τί γάρ; καί* noli neglegere. sed ne quidquam dubitationis relinquatur, poeta imaginem istam *κλόνον Γιγάντων* appellat. *κλόνος* autem ab epica literarum Græcarum ætate ad dimicantium turbam pertinet recteque explicat Hesychius *ταραχὴ πολέμου.* sequitur, ut nemo aut tria aut plura [3]) deorum Gigantumque duella in metopis incisa, quæ

---

[1]) hoc argumento usus est Schœmannus l. l. p. 85.

[2]) in codicibus personarum notæ, ut solent, multifariam corruptæ sunt; metrum tamen et rationes antistrophicæ verum docent certissime.

[3]) Welckerus, ut verba *κλόνον Γ.* aliquo modo explicet, plures quam tres metopas templi deorum Gigantumque duellis ornatas fuisse sibi sumit.

quomodo inter se nexa sint omnino non appareat, *κλόνον Γιγάντων* recte dicere possit. an tu imagines pepli Palladis Dresdensis ita appellabis [1])? quod autem haud pauca Gigantomachiæ duella poetæ commemoraverunt, artifices finxerunt, contra eas quas attuli causas nihil valet.

iam vero si Gigantomachiam una imagine expressam fuisse sumimus — et fuit, nisi forte poetam nos consilio fallere arbitramur —, in metopa templi esse non potuit. novam igitur nacti sumus causam, cur versibus illis quos commemoravi duo imaginum genera describi iudicemus. quod cognovisse minime displicet: immo poetam, si in tanta rerum mirabilium copia virgines Athenienses primum Delphorum sacram sedem adeuntes nihil admirantes fecisset nisi parvulas quasdam metopas, optimo iure et miraremur et vituperaremus.

sed ubi fuerunt istæ imagines quas virgines Athenienses describunt? antequam ad hanc quæstionem accedamus, dicendum nobis est in fabula Ione præter templum nullum ædificium ut in scæna præsens commemorari. quamquam autem Caroli Otofredi Mülleri et Gepperti sententiam, qui scænam Atticam omni fere ornamento caruisse sumunt [2]), improbo, tamen omnibus causis pensitatis non minus eos falli iudico, qui luxu abundantiaque superflua, quam in nostris theatris sæpe conspicimus, exornatam voluerunt: immo Græci boni pulcrique semper studiosi in hac quoque re mediocritatem tenuisse putandi sunt: quæ necessaria erant asciverunt, quæ supervacanea relegarunt. itaque cum nullum commemoretur præter templum ædificium, ne fuit quidem in sæna: imagines igitur in templo ipso quærendæ sunt, qua in re Welckeri vestigia premimus. neque minus eam viri doctissimi sententiam amplectimur, qua Herculem et Bellerophontem in metopis fuisse statuit; nam et natura sua istæ imagines metopis aptissimæ sunt, cum non plures quam ternas figuras contineant, et aliorum templorum metopis insertas reperimus [3]). antequam autem de Gigantomachia agamus, paullo accuratius eum locum tractemus, a quo parodus pulcerrima initium capit. virgines igitur Athenienses orchestram intrantes hosce versus fundunt:

οὐκ ἐν ταῖς ζαθέαις Ἀθά-
ναις εὐκίονες ἦσαν αὐ-
λαὶ θεῶν μόνον οὐδ' ἀγυι-
άτιδες θεραπεῖαι·
ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ
τῷ [4]) Λατοῦς διδύμων προσώ-
πων καλλιβλέφαρον [5]) φῶς.

quos versus etiam post egregiam Brodæi coniecturam *καλλιβλέφαρον* pro *καλλίφαρον* scribentis Kirchhoffius et Wilamowitzius Anal. Eur. p. 28 corruptissimos iudicarunt; interpretari conatus est is qui in hac tota quæstione viam tamquam stravit, Welckerus l. l. p. 15 sq. ac primum quidem rectissime annotavit *ἀγυιάτιδας θεραπείας* — quibus verbis adiun-

---

1) *Müller-Wieseler, Denkmäler der alten Kunst* I *Taf.* X *Nr.* 36.
2) *Müller, Griech. Literaturgeschichte* ^{2} II p. 59. *Geppert, altgriechische Bühne* p. 157—159.
3) cf. Welckerum l. l. p. 21 sq.
4) *τῶ* C. *τῶν* P.
5) *καλλίφαρον* inepte PC.

gendum est attributum θεῶν — per se nihil pertinere ad Apollinem Ἀγυιᾶ, qui apud Dores et Atticos colebatur; sed illud ipsum Apollinis cognomen quid sint ἀγυιάτιδες θεραπεῖαι satis indicat. nam cum Apollo Agyieus vel, ut in Agamemnone Aeschylea nominatur, ἀγυιάτης non solum viarum, sed etiam ianuarum sit protector, a quibus omne malum averruncat, quare idem θυραῖος et προστατήριος appellatur, sequitur, ut sint ἀγυιάτιδες θεῶν θεραπεῖαι post templa commemorata honores, qui dis in introitu templorum habentur [1]. hos autem ad imagines sculptas referre, quibus cum facies templi tum tympanum ornatum est, quæque deum cuius templum est sacrum repræsentant, quis est qui neget? virgines enim Athenienses, postquam templum Delphicum magnificentissime et columnis et imaginibus ornatum conspexerunt, statim reminiscuntur templorum domesticorum non minore luxu splendentium maximeque, quod elegantissime suspicatus est Welckerus, Parthenonis non multo ante Ionem actam plene perfecti. hæc autem interpretatio etiam magis confirmabitur iis quæ de versuum insequentium vi docebimus. quos Welckerus ita scripsit, ut ego antea attuli; interpretatus est ita, ut δίδυμα πρόσωπα ad duplicem ædis frontem pertinere diceret [2]. duæ tamen res et me iam diu commoverunt neque Kirchhoffium Wilamowitziumque videntur fugisse. Welckerum enim si sequeris mirum quantum languet attributum τῷ Λατοῦς, præsertim cum verba παρὰ Λοξίᾳ non personam sed locum (Delphos) significent. neque satis apte virgines Athenienses duplicem ædis frontem videntur admirari et collaudare, cum alteram videant. quod argumentum etsi Welckerus labefactare conatur, tamen minime neglegendum est [3]. equidem hunc locum inter eos esse iudico, quibus C erraverit, P veram lectionem servaverit; sic igitur scribo:

ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ
τῶν Λατοῦς διδύμων προσώ-
πων καλλιβλέφαρον φῶς.

quæ verba, quantum quidem latine reddi possunt, sic verto: ‚sed etiam apud Loxiam (i. e. Delphis) facies geminorum Latonæ pulcris oculis splendent.' hoc enim loco describitur, ut mihi quidem videtur, tympanum partis anticæ templi, quod choro adversum erat. de statuis tympanorum Delphicorum hæc habet Paus. X 19 3: τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἔστιν Ἄρτεμις καὶ Λητὼ καὶ Ἀπόλλων καὶ Μοῦσαι δύσις τε Ἡλίου καὶ Διόνυσος καὶ γυναῖκες αἱ Θυιάδες. qui cum tympani antici et postici figuras non distinxisset, Welckerus Latonam Apollinem Dianam Musas in antica, Dionysium Bacchas occasum solis in postica parte mihi quidem rectissime videtur collocasse [4]. sed utcunque se res habet, nemo dubitabit, quin medium tympanum supra pronaum situm occupaverint Latona geminique eius, quos deos

---

[1]) recte igitur locum interpretatus est Hesychius: ἀγυιάτιδες· αἱ πρὸ τῶν θυρῶν θεραπεῖαι. post ἀγυιάτιδες inserendum est θεραπεῖαι.

[2]) l. l. p. 16.

[3]) l. l. p. 16: *„Dasz solche Gebäude nicht blos einen Vortempel (προνήιον), sondern doppelte Façade hatten, war zu bekannt und ein zu groszer Umstand, als dasz nicht der Chor, auch wenn er die andere Seite noch nicht gesehen hatte, von ihr als gegeben und nach dem architektonischen Gesetz völlig gleich verziert mitsprechen dürfte."*

[4]) aliter sentit Iulius Kayser, *Delphi (Darmstadt 1855)* p. 48.

proprie Delphicos fuisse probant iuramenta pacti præclari de delubro Delphico CIG I 1688,8 [1]). has igitur statuas ab artificibus Atheniensibus summa arte sculptas Euripides chorum facit contemplantem [2]), atque etiam contextus orationis optimus est. nam quod omnes omnium ætatum poetæ facere solent, ut duas res inter se comparantes in altero membro genus, in altero speciem ponant, Euripides, postquam templorum Atheniensium *ἀγυιάτιδας θεραπείας*, i. e., ut supra demonstravimus, imagines supra portam sculptas commemoravit, statim tympanorum Delphicorum gravissimum ornamentum describere exorditur [3]). sententiam igitur huius loci recte me indagasse mihi persuasum est, nec minus mihi videor verba restituisse. genetivi enim versus 189, quorum alter (*τῶν Λατοῦς*) ab altero (*διδύμων προσώπων*) pendere videtur, quamquam nobis quidem non satis sunt perspicui, tamen defendi possunt in loco melico, cum ne in diverbio quidem inauditi sint [4]). multo autem elegantior erit verborum structura, si *τὰ Λατοῦς δίδυμα πρόσωπα* pro *τὰ πρόσωπα τῶν Λατοῦς διδύμων* dictum esse sumemus. quod num licuerit poetæ videant doctiores; similia neque minus ardua interdum reperiri non ignorat qui tragicos novit [5]). itaque ego hanc iuncturam magis quam illam commendare non dubito. ceterum iuvat videre quam prope ab hac huius loci interpretatione afuerit Welckerus l. l. p. 16.

postquam chorum in Ionis parodo primum tympanum statuis pulcerrimis exornatum, deinde duas ex metopis contemplari intelleximus, de Gigantomachia quid statuendum sit nihil dubitabimus. neque enim erat templi exterioris aliud imaginum genus quam diazoma [6]), quod interdum summos parietes ædium Doricarum sive circumdabat sive a parte antica et postica ornabat. Doricum autem hexastylon fuisse templum Delphicum ex ruderibus, quamvis exigua sint, tamen colligi potest [7]). *Gigantomachiam igitur in diazomate parietis antici supra antas portamque sculptam fuisse dicemus.* quam aptum autem hoc ipsum ornamentum diazomati sit, nemo non intelleget, qui pugnas simillimas eodem Thesei Atheniensis loco fictas recordabitur [8]). atque etiam verba poetæ etsi corrupta sunt, tamen idem designare videntur. nam loca imaginum tympani et metoparum indicare, cum ultro spectatorum oculis se offerrent, supervacaneum erat; necessarium videbatur in diazomate columnis aliquantulum cooperto. quid? vocabulum *τείχεσι* nonne statim nos ad parietes relegat? itaque ego *τοίχοισι* emendaveram, antequam Schœmanno idem in mentem

---

[1]) *ὀμνύω κατὰ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθίου καὶ τᾶς Λατοῦς καὶ τᾶς Ἀρτάμιτος.* cf. Augustum Mommsen, *Delphika* p. 104.

[2]) Latonæ statuam non nominat poeta; tamen matrem, quæ ipsa nominatim commemoratur, et sine dubio medium locum occupabat, facillime liberis adiunges. quo argumento si cui non persuadeatur nihil refert.

[3]) columnas in priore membro commemoratas in posteriore poeta plane neglexit.

[4]) cf. Iph. Taur. 17, de quo versu infra agam.

[5]) cf. Kühnerum, *ausführl. Gramm. der gr. Sprache* ^{2} II p. 224 sq.

[6]) illud dico quod nos dicere solemus ‚Fries'. non est, quantum scio, vocabulum Latinum; *διάζωσμα* simile imaginum genus significat apud Ath. V p. 205 c.

[7]) cf. Kayserum l. l. p. 134 adn. 62.

[8]) in parte occidentali fuit Centauromachia, in orientali aut Müllero auctore pugna Thesei cum Pallantidis facta, aut, quod voluit Ulrichsius l. l. II p. 135 sq., bellum Atheniensium cum Eurystheo gestum.

venisse vidi[1]), si quis dederit meliora, gratissimus ero; forma glyconei antistrophici emendationi non repugnat[2]). verebar aliquamdiu, ne diazomatis imagines obstante epistylio a virginibus Atheniensibus spectatæ non essent. tamen istud fieri potuisse non ego solus iudico, si quidem chorum non longius afuisse sumimus: tum certe epistylium imaginibus obiectum in templo super altam crepidinem exstructo (cf. v. 38. 510) altisque columnis sublimi aspectum non impediebat.

tria igitur imaginum genera, tympani metoparum diazomatis, a choro describi intelleximus: sequitur, ut templum a parte antica spectatorum oculis subiectum fuisse dicamus, id quod ipsa rerum natura verisimile esse supra vidimus[3]). cuius omnia ornamenta exteriora cognovimus præter unum. Ion enim aves a templo abigens vetat (156) μὴ χρίμπτειν θριγκοῖς μηδ᾽ εἰς χρυσήρεις οἴκους. quod cur dixerit poeta duæ cogitari possunt causæ. primum enim constat partes quasdam imaginum, quæ templa ornabant, arma maxime, sæpe aheneas fuisse, quasdam pictas atque inauratas. quo decoris genere ne Delphicum quidem templum, quale in scæna apparebat, caruisse apertissime docent χρύσεαι ἅρπαι Herculis (192); ad idem genus refero πανὸν πυρίφλεκτον Iolai (195), πῦρ πνέουσαν ἀλκάν Chimæræ (203) Iovisque κεραυνὸν ἀμφίπυρον (213). sunt autem fortasse qui de scutis aureis e præda Marathonia Delphos dedicatis cogitent; quæ in epistylio antico templi suspensa fuisse tradit Pausanias X 19 4[4]). equidem non reluctor, quamquam huius quidem scænæ ornamenti in fabula nec vola est nec vestigium; tamen adfuisse mihi videtur verisimile comparata Iphigenia Taurica, in qua Orestes Pyladi θριγκοῖς ὑπ᾽ αὐτοῖς σκῦλα ἠρτημένα (74) ostendit[5]). imagines autem sculptas ceteraque quotquot fuerunt templi ornamenta complectitur Euripides verbis σεμνὰ ἀναθήματα (107 et 177).

sed de templo hactenus. secuntur γύαλα quattuor locis a poeta commemorata (76. 220. 235. 245). quæ cur Enthovenus, qui novissimus de ea re scripsit l. l. p. 39, voluerit esse lauretum Apollinis Delphici sacrum neque ipse dicit neque ego possum suspicari; satis mira est novæ significationis ratio ex ‚arborum capitibus in cameræ formam superne clausis' petita[6]). rectissime iudicaverat Schœnbornius, qui l. l. p. 178 γύαλα convalles esse statuerat. Delphorum enim et urbs et templum Apollinis sita erant in valle Parnasi aut, ut accuratius dicam, in monte declivi (ὑπὸ πτυχὶ Παρνησοῖο hymn. Hom. in Apoll. Pyth. 91, γυάλοις ὕπο Παρνησοῖο Hesiod. theog. 490. cf. hymn. in Apoll. Pyth. 215); ita fit, ut Euripides non in hac una fabula τέμενος Apollinis Pythii sacrum θεοῦ (Φοίβου) γύαλα

[1]) opusc. acad. IV p. 91. τοῖχοι parietes templi vocantur Iph. Taur. 96. fortasse corruptela inde orta est, quod Euripides τείχεα appellat λάϊνα Tr. 1088.

[2]) formæ glyconeorum hæce — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — et — ⏑̄ — ⏑ ⏑ — — — tam sæpe respondent inter se, ut loci mihi corrigendi non videantur.

[3]) etiam Iphigeniæ Tauricæ templum oblique posuit Schœnbornius multo levioribus causis impulsus. sed de hac re cum illius fabulæ aliquot quæstiones tractabo, plura me disputaturum spero.

[4]) de armis in epistylio templi Delphici suspensis loquitur etiam Eur. Andr. 1121 sq.

[5]) mirus est Wecklini error, qui hæc arma e cymatio aræ suspensa fuisse fingit *Einl. zur Taur. Iph.* p. 9.

[6]) aliorum errores in hoc vocabulo interpretando commissos prætermitto.

dixerit [1]), quorum pars proxima templo scæna repræsentabatur [2]). videntur autem hortorum præbuisse speciem [3]) cum aliis plantis, e quibus myrtus v. 121 commemoratur, tum lauro Apollinari consitorum [4]). eius modi igitur fuit ornatus et scænæ ipsi in utraque templi parte et versuris affixus. fuit quoque intra *γύαλα* Delphica Cassotis fons, quem poeta sine ulla dubitatione v. 118 significat [5]); tamen conspectum eum esse in scæna neque necessarium erat neque ego credo.

pervenimus ad *θυμέλας*, quæ ipsæ quater occurrunt (46. 114. 161. 228). quod vocabulum quid significaret, magna controversia fuit inter viros doctos, quoad Wieselerus ad aream ante templum patentem rectissime rettulit [6]). nam area ista, in qua ara esse solebat, non minus ‚locus sacris faciundis‘ appellari potest quam ara ipsa (Eur. Suppl. 64 *δεξιπύρους θεῶν θυμέλας*. Rhes. 235) et templum (El. 713 *θυμέλαι δ'ἐπίτναντο χρυσήλατοι*). at quod voluit esse Enthovenus p. 45, ‚limen, gradus quibus nititur templum‘ ipsumque pronaum, hæc notio neque e primaria ducta esse neque ad omnes Ionis locos adhiberi potest. quomodo enim interpretabitur v. 114, quo thymelæ *ὑπὸ ναοῖς* esse dicuntur [7])? causa tamen erroris in promptu est: confudit thymelas cum *εἰσόδοις* et *πυλώμασιν*. at hæ voces non sunt — sit venia verbo — termini technici neque solum ad aream templi sed etiam ad crepidinem limenque referri possunt; ita fit, ut Ion parvulus ab Apolline *πρὸς αὐταῖς εἰσόδοις* (34) templi poni iussus a Mercurio *κρηπίδων ἔπι* (38) ponatur. thymelæ

---

[1]) præter huius fabulæ locos cf. Phœn. 237 et Andr. 1093 *χρυσοῦ γέμοντα γύαλα, θησαυροὺς βροτῶν*, ubi Enthovenus thesauros Delphicos a civitatibus Græcis exstructos significari putat. quod mihi non recte videtur fecisse: immo *τέμενος* ipsum recte dicitur *θησαυροὶ βροτῶν*, quoniam plurimis pretiosissimisque Græcorum et barbarorum donis repletum fuit.

[2]) hoc infra probabitur.

[3]) *κῆποι ἀθάνατοι* v. 116.

[4]) præter Ionis locos cf. Andr. 1115.

[5]) de hoc fonte, cuius aqua per adytum fluebat, præter Pausaniam cf. Plutarchum de Pyth. or. 17. hoc loco non significari Castaliam, quæ v. 95 et 148 a poeta nominatur, recte cum alii contenderunt tum Enthovenus l. l. p. 41. Castalia enim erat extra peribolum, ad dexteram viæ, quæ a gymnasio ad templum ducebat; Paus. X 8 9. quare Ion *ὁσίους*, qui ex urbe ad templum contendunt, Castaliæ undis adspersos ad sacra accedere iubet v. 94 (quem locum minime intellexit Schœnbornius). at ille fons, qui v. 118 significatur, intra *κήπους ἀθανάτους* erat, quibus verbis *τέμενος* notatur. lucum Olympiacum *κᾶπον* appellat Pindarus Olymp. III 24.

[6]) *über die Thymele des griech. Theaters* p. 21 adn. 59.

[7]) v. 112 sq. *ἄγ' ὦ νεηθαλὲς ὦ | καλλίστας προπόλευμα δάφνας, | ἃ τὰν Φοίβου θυμέλαν | σαίρεις ὑπὸ ναοῖς, | κήπων ἐξ ἀθανάτων, | ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραί, | γαίας* (ut scribit Hermannus) *ἀέναον παγὰν | ἐκπροϊεῖσαι, | μυρσίνας ἱερὰν φόβαν, | ᾇ σαίρω δάπεδον θεοῦ*. sibi non constare poetam multi arbitrantur viri docti, cum Ionem modo lauri modo myrti ramis aream verrere dixerit (cf. Schœmannum l. l. p. 68). quod alii ut poetæ neglegentiam excusare, alii ut librariorum vitium emendare conati sunt. neutrum mihi verum videtur. distinxit poeta aream (*Φοίβου θυμέλαν*) ab ipsius templi solo, quod *δάπεδον θεοῦ* appellat. hæc huius vocabuli notio ab Homero usitata (*Δ* 2), quamquam non unica est, tamen egregie huic loco convenit sententiarumque iunctura flagitatur. Ion enim, postquam multo mane (*ἅμ' ἁλίου πτέρυγι θοᾷ* 122) templum interius tenui myrto purgavit, ad aream lauri ramis verrendam e templo procedit (*ἐκβαίνει* 78; cf. Schœmannum l. l. p. 61, qui de hac re idem sentit neque tamen hoc loco usus est). ceterum nihil aliud dicit poeta v. 103: nam *πτόρθοισι δάφνης στέφεσίν θ' ἱεροῖς* idem est atque *ἱεροῖς δάφνης πτόρθοισι στέφεσίν τε* ‚sacris lauri ramis fascibusque‘.

vero ad sedem ipsam nihil pertinent; quamquam qui hoc vocabulo notatur locus eadem qua ædes est sanctimonia et non raro vocibus *δόμος, ἀνάκτορον* comprehenditur [1]. iam intellegimus, cur Pythia Ionem *ὑπὲρ θυμέλας διορίσαι* in animo habuerit (46); Apollinis enim religionem, dum puer coniugio non legitimo ortus in loco sacro cubaret, pollutam putabat. neque vero v. 226—229, quos multi coniecturis vexarunt, nemo, quantum equidem sentio, recte interpretatus est, difficultatem facessunt:

ΙΩΝ. εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων
καί τι πυθέσθαι χρῄζετε Φοίβου,
πάριτ' εἰς θυμέλας, ἐπὶ δ' ἀσφάκτοις
μήλοισι δόμων μὴ πάριτ' εἰς μυχόν.

quibus verbis Ion, postquam v. 222 virgines Athenienses *γυάλων* fines transire vetuit, iussum suum restringit. ‚si quidem, inquit, libum ante templum obtulistis Phœbumque estis consulturæ, præterite in aream, *χρηστηρίῳ* autem nondum mactato nolite templi penetralia adire' [2]. tenendum enim est Ionem v. 183 loco cessisse, v. demum 220 a choro animadverti et arcessiri. fieri igitur poterat, ut chorus Ione inscio libum sacrificaret, si quidem aram, in qua offerretur, extra aream fuisse sumimus. quod Schœmannus verbis *πρὸ δόμων* motus negat; sumi tamen posse alio huius fabulæ loco probabo. *χρηστήριον* enim, quod initio fabulæ nondum mactatum fuisse v. 228 docet, immolatum est paullo ante quam Xuthus advenit (401), sicuti ipse dicit v. 418 sq. quoniam autem de sacrificio ipso nihil audimus, in scæna factum non esse apparet; tamen Xuthus victimam *πρὸ ναοῦ* cecidisse profitetur. quamobrem sicuti ara, in qua victima mactabatur, eo periboli loco erat, qui scæna non repræsentaretur [3]), ita de ara libis offerendis destinata idem sentire debemus. collocamus autem aptissime in aditu sacri periboli prope *ἀπορραντήρια*, ipsa in scæna non conspecta [4]), in quæ Ion scæna cedens aquam infundit (435). illi igitur qui oraculum consulturi erant vixdum dei peribolum intrantes aquam Castaliæ sibi adspergendo et libum offerendo ad rem sacram se præparabant [5]).

thymelæ autem templi circumdatæ fuisse videntur sæptis. quod ut sumamus commovet chorus, cum Ionem interrogat (220): *θέμις γυάλων ὑπερβῆναι λευκῷ ποδί [βαλόν];* quem nisi quid impedisset, certe templi magnificentia allectus venia non petita propius accessisset. Græcum autem horum sæptorum nomen, id quod iam Schœmanno visum est, puto esse *θριγκός*, cui v. quidem 1321 ea quam solet habere notio non potest imputari:

τρίποδα γὰρ χρηστήριον
λιποῦσα θριγκοῦ τοῦδ' ὑπερβάλλω ποδί.

---

[1]) *ἀνάκτορα* ad totum peribolum pertinent v. 1224, de quo loco infra dicam.

[2]) *χρηστήριον* i. e. hostia antequam oracula peterentur oblata, ut cognosceretur, velletne deus eo ipso die vaticinari, fuit ovis aut taurus aut sus aut capra. cf. Plutarchum de or. def. 49 (p. 783. 784).

[3]) non erat igitur ara thymelæ. commemoratur hæc *ἐσχάρα* etiam Andr. 1100 sq., sed non ita ut de loco eius aliquid discamus.

[4]) cf. Poll. I 8. duo *περιρραντήρια* Delphica a Crœso dedicata, aureum alterum, alterum argenteum commemorat Herodotus I 51.

[5]) quod supra docuimus probat Xuthi cum in scænam prodit agendi ratio 401; templum enim intrat libo non oblato. itaque antea, ut mihi quidem videtur in aditu periboli, obtulisse dicendus est.

Pythia igitur templo egressa per thymelam in pulpitum procedit, in quo Ion cum armatis constitutus Creusæ mortem minatur. ad probandam notionem, quam vocabulo θριγκός hoc loco tribuimus, cf. Paus. I 42 7 περὶ δὲ αὐτὸ (sc. ἡρῷον Ἰνοῦς) θριγκὸς λίθων. VI 20 7 τῆς δὲ (sc. Ἀφροδίτης) περιέχεται μὲν τὸ τέμενος θριγκῷ. Hesych. s. v. θριγκός: ἡ στεφάνη τοῦ τείχους· περίφραγμα ὡς περίβολος. Suid. θριγκός: τὸ περίφραγμα τοῦ οἴκου· στεφάνη· μικρὸν τειχίον· περίβολος.

sed hæc ipsa quæstio nos ad aras perduxit, quod fuit postremum cum Ion ageretur scænæ ornamentum. quarum duas iam supra cognovimus, quæ a poeta commemorantur neque a spectatoribus conspiciuntur. idem dicendum est de iis aris, ad quas Xuthus uxorem dis supplicare iubet, ut faustum ferant de liberorum progenie oraculum (422); Creusa enim v. 428 scæna cedit, v. demum 725 revertitur. tamen aras istas intra sacrum peribolum fuisse et ipsum consentaneum est et Pausaniæ testimonio, qui unam aram βωμὸν τὸν μέγαν appellat (X 14 7) quodammodo confirmatur [1]. restat igitur una ara in scæna conspecta, eam dico, in quam Creusa Ionis insidiis exagitata confugit (1255). quam solam scænæ esse hoc quoque confirmatur, quod poeta eam pronomine ὅδε non addito commemorat (1255. 1258. 1275). neque dubitamus, quo scænæ loco fuerit exstructa: in media thymela erat, quæ ara ornari solebat. egregie consentiunt v. 1275

ἀλλ' οὔτε βωμὸς οὔτ' Ἀπόλλωνος δόμος
σώσει σε·

quo loco δόμος minime coniectura temptandum est, et v. 1309

ἤν γ' ἐντὸς ἀδύτων τῶνδέ με σφάξαι θέλῃς,

ubi ἄδυτα ad aream templi non a quolibet homine ingrediendam pertinent. quæ notio huius vocabuli, quamquam ad originem eius egregie quadrat (cf. ἄβατον), tamen, quantum equidem scio, nullo alio loco occurrit. recte autem me interpretatum esse v. 226—229 hoc versu egregie probatur. paucis explicanda sunt verba Ionis Creusam comprehendi iubentis:

1400 λάζυσθε τήνδε· θεομανὴς γὰρ ἥλατο
βωμοῦ, λιποῦσα ξόανα· δεῖτε δ' ὠλένας [2].

credat enim quispiam his versibus commotus simulacra cum ara ipsa artissime fuisse coniuncta. at hoc Græci moris non erat, si quidem ara ante ædem, quæ simulacra continebat, posita erat. quod autem Ion Creusam reliquisse simulacra dicit, non miraberis, si thymelæ aram gravissimam principalemque templi esse recordaberis [3].

---

[1]) vera falsaque miscuit Ulrichsius l. l. I p. 67 adn. 24. — significatur etiam in hac fabula cellæ ara v. 91: σμύρνης δ' ἀνύδρου καπνὸς εἰς ὀρόφους Φοίβου πέτεται. hoc in foco, in quo ignis æternus ardebat (Aesch. Choeph. 1034), odores incendere solebat Pythia, antequam ad oracula edenda in adytum descenderet. neque vero hoc loco probatur, quod de istis odoribus tradit Plut. de Pyth. or. 6; nam quin thymiama ad Pythiam pertineat, nemo dubitabit qui versus insequentes legerit. ceterum vides Ionem quid modo in templo acciderit accuratissime scire; e templo igitur initio fabulæ processit.

[2]) animadvertas velim meam loci interpunctionem.

[3]) alia res est in Andromacha Euripidea. sedet enim Andromacha in ara ipsius Thetidei Neoptolemi domui vicini (43. 117. 161 sq.), deæ simulacrum brachiis complexa (115). Ut autem a spectatoribus conspiceretur, Thetideum sacellum satis parvum [fortasse templum in antis] fuisse necesse est. quæ suspicio eo probatur, quod non medias scænæ valvas occupabat.

hæc igitur — ut paucis quæ antea docui complectar — fuere scænæ cum Ion ageretur ornamenta: templum Delphicum aut pronaus eius — hic enim sufficiebat — ad medias valvas in alta crepidine exstructum imaginibusque tympani metoparum diazomatis ornatum, ante templum ara surgens in thymela satis humili maceria circumdata; dextera sinistraque templi et ad versuras arbores fictæ, maxime lauri, ut hortorum imago spectatoribus repræsentaretur. plus addere non erat necessarium; cur auctore Schœnbornio (l. l. p. 178) cacumina Parnasi admittam ne minimam quidem video causam.

sed ut id quod mihi proposui rite absolvam, ne ianuarum quidem in hac fabula usus neglegendus videtur, præsertim cum Schœnbornius hanc causam tam leviter tractet, ut per quinque scænæ ianuas actores in pulpitum processisse dicat, per quattuor quinam processerint doceat. quæ res, quamquam non pauca habet lubrica et subobscura, cum theatri Græci rationes non plane nobis cognitæ sint, tamen in hac quidem fabula ad probabilitatem perduci posse videtur, si quidem tenemus legem illam gravissimam, quæ e Pollucis verbis exilibus certe concluditur [1]), scænæ ipsius ternas valvas ad eum quo fabula agatur locum pertinere; versuras autem efficere unam a foro alteram a peregre aditum in scænam [2]). itaque in hac fabula per hospitalia — nam de mediis valvis, quas templum occupat, disserere supervacaneum est — eas faciemus intrantes personas, quæ ex interiore peribolo in scænam prodeunt; per dexterum aditum [3]) eas quæ a porta periboli aut ex urbe aut a Parnaso, per sinistrum eas quæ peregre ad Apollinis templum accedunt aut in istas regiones abeunt. itaque ut eos tantum accessus et recessus commemorem, quos Schœnbornius aut neglexit aut falso indicavit, Mercurius initio fabulæ per sinistrum aditum in scænam procedit, peregre enim Delphos advenit (v. 5), ut Apollinis machinas ipse oculis suis cognoscat; recedit v. 81 in lauretum per alterum hospitalium, quantum ego quidem causa quam infra indicabo motus sentio, per dexterum [4]). aditu dextero utitur Ion v. 451, ut aquam in *ἀπορραντήρια*, quæ ad portam periboli fuisse putanda sunt, infundat (cf. v. 435); inde redit in scænam v. 510. dubitare licet, per quam ianuam Ion v. 675 ad tentoria exstruenda abierit, quæ intra sacrum peribolum fuisse cum nomen *σκηναὶ ἱεραί* satis doceat, tum poeta v. 1224 eloquitur [5]). sed ansam præbet Xuthus Ionem comitans (1122 sq.), qui cum ad Parnasum se conferat, nisi per dexterum iter abire non potest. itaque tentoria illi viæ, quæ a templo ad exitum periboli ferebat, adiacuisse putanda sunt [6]). eadem ianua

---

[1]) Poll. IV 124—126.

[2]) verbis utor Vitruvianis VI 8.

[3]) dexterum aditum eum dico qui a dextera, sinistrum eum qui a sinistra spectantibus est.

[4]) utrum ad dexteram an ad sinistram scænæ ianuam lauretum fictum fuerit, e fabula ipsa diiudicari non potest. Enthovenus l. l. p. 41 septentrionali templi lateri illud adiacuisse docet; itaque si quidem Euripidem Delphos in scæna repræsentatos veris assimulasse sumimus, in dextero templi latere collocandum est, quod mihi quoque videtur. sed causam Enthoveni probare non possum. nam Cassotis fons, quamquam sine dubio in septentrionali templi latere oriebatur, tamen num e laureto profluxerit, ignoramus. e v. 116 sq. eum in peribolo originem habuisse discimus.

[5]) *τὸν ἱερὸν ὥς κτείνουσαν ἔν τ' ἀνακτόροις φόνον τιθεῖσαν.*

[6]) eius modi tabernacula ad magnam hominum multitudinem cena accipiendam diebus festis videntur Delphis fuisse exstructa, quod probant duo tituli Delphici, alter ab Ernesto Curtio publici iuris factus (Anecdota Delphica p. 78 nr. 45), quo *οἱ ἱερομνάμονες* Naupactio cuidam cum alia tribuunt tum

utuntur pædagogus et Creusa v. 1047, ille ad Ionis cædem, hæc ad hospites urbanos se conferens. tamen non simul mihi videntur scæna cessisse; immo Creusa v. 1040 abit, pædagogus post v. 1047 eadem via subsequitur. inde redit v. 1106 angelus; v. 1250 Creusa exagitata in scænam ruit, quam Ion armatorum caterva comitatus v. 1261 sequitur. Creusa, quoniam v. 428 ad aras se confert, quæ in peribolo collocandæ sunt (cf. 422), non, quod voluit Schœnbornius, ad hospites, per alterum hospitalium, ut mihi quidem videtur, per sinistrum abit. inde revertitur v. 725 cum pædagogo [1]) *περιφερῆ στίβον* ingressa (cf. 743). equidem his verbis semitam curvatam significari puto [2]), quæ ab imo paullatim acclivis, ut viæ difficultatem sublevaret [3]), a scænæ ianua sinistra ad pulpitum ferebat. quæ acclivitas sine dubio in scæna quodammodo significata et *γυάλων* vocem, qua sæpissime utitur poeta, probat et Creusæ servoque, cum per scænæ ianuam in pulpitum ascendant, aptam præbet colloquendi cum choro occasionem (747) [4]).

restat, ut paucis Delphos in scæna fictos cum veris comparemus. paucæ quidem periboli Delphici res in scæna repræsentari poterant; sed quæ repræsentatæ erant, tales finxit Euripides quales eo ipso tempore erant. quod de plurimis probari potest, de ceteris non temere suspicamur. poeta enim cum Delphos heroicæ ætatis fingere nollet, omnem templi splendorem et dignitatem, quam plurimi certe spectatores suis ipsi oculis viderant, ascivit, ut et scænico apparatu eos delectaret et memoria artis Atticæ in templo Delphico conspicuæ spiritus popularibus adderet: quibus rebus etiam in aliis fabulis consuluisse Euripidem nemo ignorat. sed ut singula percenseamus, præter tympani imagines et aurea ædis ornamenta, de quibus supra satis disseruimus, novimus aram ante templum positam, quam Paus. X 14 4 *βωμὸν τὸν μέγαν* appellat et quam Herodotus II 135 Chios Apollini dicasse tradit [5]). rectissime verba tituli præclari CIG I 1688, 35 *τὸν ναὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθίου καὶ τὰν αὐλάν* ad aream templi, quæ ab Euripide *θυμέλαι* appellatur, iam pridem relata sunt. notissimum est lauretum, cuius postremam progeniem in septentrionali templi latere, nunc prope ecclesiam S. Nicolai Castritarum virentem conspexerunt Ulrichsius a. 1838 (cf. l. l. I p. 39) et Curtius a. 1841 (cf. l. l. p. 54), quam hieme anni $18^{52}/_{53}$ emortuam esse tradit Vischerus [6]). magnopere autem iuvat audire Castritas huius arboris

---

σκανὰν ἐμ Πυλαίᾳ τὰν πρώταν (cf. quæ adnotavit Curtius l. l. p. 45), alter a Weschero et Foucarto (*Inscriptions de Delphes* p. 17 nr. 8), secundum quem Tisimachus quidam *ἀντὶ τοῦ χειροτεχνίου τὸ προσκάνιον ἱστάτω Ἡρακλείοις.* falsissime scænam Heracleis exstruendam hoc titulo intellexit Augustus Mommsen *Delphika* p. 319 sq.

[1]) pædagogus igitur iam antea in peribolo versatus est. quo quando et qua ratione pervenerit, poeta non dicit. potest per eandem portam intrasse iudicari atque Creusa et ancillæ neque tamen templi viciniam attigisse; potest alia usus esse porta; nam complures aditus habuisse peribolum Delphicum testatur Pausanias X 9 1 *τέτμηνται δὲ ἔξοδοι δι' αὐτοῦ συνεχεῖς.* sed hæc minima sunt neque curasse poetam indico, quamobrem ne nos quidem curemus.

[2]) cf. *περιφερεῖς ὀφθαλμοί* ‚oculi volventes‘ apud Luc. Iup. trag. 30.

[3]) *αἰπεινά μοι μαντεῖα* 739.

[4]) mirum errorem committit Schœnbornius, cum v. 94 servos ab Ione ad fontem Castaliam mitti putat, ad quam via propria scænæ ducat. cf. p. 10 adn. 5.

[5]) *ὄπισθε μὲν τοῦ βωμοῦ, τὸν Χῖοι ἀνέθεσαν, ἀντίον δὲ αὐτοῦ τοῦ νηοῦ.*

[6]) *Erinnerungen und Eindrücke aus Griechenland* p. 610.

frondibus non minus nostra ætate quam olim sacris sacella sua festis diebus ornasse. neque unde στίβος περιφερής ad templum duxerit, post Mülleri iter Delphicum dubitamus. maxime enim arduus difficillimusque ascensus erat a parte meridionali, ubi substructiones arearum effossæ sunt, quæ in titulo Delphico ἀναλήμματα vocantur[1]). iam cum templum ad orientem vergat, vides cur Creusam cum pædagogo per sinistram scænæ ianuam intrare voluerim; quod si probas, necesse est per dexteram abire Mercurium in lauretum, quod re vera dextero, i. e. septentrionali templi lateri adiacuisse mihi persuasum est. neque vero viæ per aditus patentes contra rerum naturam pugnant. nam cum porta principalis periboli templo adversa esset orientemque spectaret, eæ personæ quæ templo relicto exitum periboli petebant, prout leges scænicæ poscebant, aut per dexterum aut per sinistrum aditum abire poterant. aliquot vero accessus et recessus etiam magis cum locorum rationibus quæ erant Delphis conspirant; nam templum Delphicum contemplanti Parnasus dextera situs est, Athenæ et Lebadea sinistra: ex eadem regione veniunt, in eandem abeunt Creusa Xuthus chorus. vides leges scænicas non modo non pugnare cum situ loci in hac fabula repræsentati — quod dixit Schœnbornius l. l. p. 179 — sed adeo congruere, ut æquus iudex eiusmodi congruentiam a poeta ne postulare quidem audeat. sed omnia perverterunt cum alii virorum doctorum errores tum is, quem in exordio huius commentationis castigavi: templum ex obliquo spectatoribus oppositum.

II Delphis pergamus Athenas, qua in urbe Ion natus et expositus esse traditur. locum autem, quo Apollo Creusam stupraverit, Creusa filium domi natum exposuerit, poeta modo ipsum Μ α κ ρ ά ς appellat modo prope Macras situm esse dicit. cui nomini, quod præter Euripidem apud neminem scriptorum legitur, Enthovenus l. l. p. 28 aut emendando versus aut abiciendo omnem fidem derogare studuit. mihi, cum aliter sentiam, locos qui huc pertinent omnes percensere et de natura situ nomine Macrarum Atheniensium quærere propositum est.

initium faciamus a versibus 283—288:

ΙΩΝ. Μακραὶ δὲ χῶρός ἐστ' ἐκεῖ κεκλημένος;
ΚΡ. τί δ' ἱστορεῖς τόδ'; ὥς μ' ἀνέμνησάς τινος.
ΙΩΝ. τιμᾷ σφε Πύθιος ἀστραπαί τε Πύθιαι.
ΚΡ. τιμᾷ; τιμᾷ; — ὡς μήποτ' ὤφελόν σφ' ἰδεῖν.
ΙΩΝ. τί δέ; στυγεῖς σὺ τοῦ θεοῦ τὰ φίλτατα;
ΚΡ. οὐδέν · ξύνοιδ' ἄντροισιν αἰσχύνην τινά.

quos versus non exscripsissem, nisi veram eorum interpunctionem docere vellem. quid enim Ionem ad Macras commemorandas impelleret, nisi ipse, Phœbi minister, locum deo suo in deliciis esse sciret? itaque v. 285 non interrogat Creusam, sed interroganti *τί δ' ἱστορεῖς τόδ'*; respondet. at illa, ut par est, Ionis verbis magnopere commovetur. sed totum locum non ab Euripide profectum esse viri docti probarunt (cf. Enthovenum l. l. p. 24) mihique persuasum est; inculcavit homo histricus satis indoctus, qui Creusæ trepidatione animos spectatorum delectare voluit.

---

[1]) l. l. p. 83 nr. 67. cf. p. 96 et tabulam Delphicam libro affixam.

neque magis Macrarum commemoratio Euripidi debetur v. 937:

ΚΡ. ἄκουε τοίνυν· οἶσθα Κεκροπίας πέτρας
[πρόσβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν];

cf. *Rhein. Mus.* XXIII 153. versu autem molestissimo, quem et grammaticæ rationes et ipsius diverbii leges repudiant, deleto sententiarum contextum inspiciamus. sic enim sermo procedit:

ΠΑΙ. οἶδ', ἔνθα Πανὸς ἄδυτα καὶ βωμοὶ πέλας.
ΚΡ. ἐνταῦθ' ἀγῶνα δεινὸν ἠγωνίσμεθα.

hoc igitur dicit pædagogus se nosse Cecropias petras; quod ut probet Creusæ, addit vicinum illis esse Paneum. iam si Cecropias petras rupes arcis Athenarum esse statueremus, quod fecit Enthovenus l. l. p. 31, insana dicentem faceremus Euripidem; neque enim rupibus acropoleos vicinum, sed in ipsis rupibus Panos antrum situm erat [1]). velim autem memineris *πέτραν* non raro idem esse quod *γλαφυρὴν* vel *κοιλὴν πέτραν* cf. hymn. in Merc. 229 *πέτρης εἰς κευθμῶνα βαθύσκιον.* Soph. Phil. 16 *δίστομος πέτρα.* 952 *ὦ σχῆμα πέτρας δίπυλον.* Eur. Suppl. 267 *ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν.* Cycl. 407 de antro Polyphemi: *ἄλλοι δ' ὅπως ὄρνιθες ἐν μυχοῖς πέτρας πτήξαντες εἶχον.* Rhes. 972 *Παγγαίου πέτραν ᾤκησε σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσιν θεός.* iam cum pars meridionalis acropoleos Athenarum antiquissimis temporibus ad perpendiculum cæsa et lævigata esset, ut locus ædificiis sacris et profanis exstruendis pararetur, pars septentrionalis, vi tempestatum borealium multo magis perfossa, arte non polita iacebat et etiam nunc iacet. rupes autem impendentes et prominentes perpetuum efficiunt specuum ordinem a magno antro orientali prope sacellum S. Georgii sito usque ad propylæa pertinentem [2]), præter quos semita, quæ nunc multis locis rupium ruderibus obruta est, ducebat. optime igitur Euripides has ipsas rupes excavatas arcis a Cecrope conditæ, quibus natura saxea totius collis quam maxime cernitur, proprie *Κεκροπίας πέτρας* appellare poterat; quibus re vera Paneum vicinum erat, quippe quod ordinem eorum occidentem versus clauderet. sententiam autem, quam de hoc loco proposui, probat is qui v. 937 interpolavit, cum ad *Κεκροπίας πέτρας* addidit *πρόσβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν*; quem nisi metrum vexasset, *πρόσβορρα ἄντρα* scripturum fuisse affirmo. ex eodem autem versu intellegimus interpolatorem etiam Macrarum nomen, quo Athenienses *Κεκροπίας πέτρας* notasse testatur, ad antra saxea septentrionalis lateris acropoleos referre [3]). quam sententiam e genuino Euripide petitam esse statim videbimus.

tertio enim loco quo in Ione Macrarum nomen legitur, v. 1398 sq.

ὁρῶ γὰρ ἄγγος, οὑξέθηκ' ἐγώ ποτε
Κέκροπος ἐς ἄντρα καὶ Μακρὰς πετρηρεφεῖς

præter v. 1399 a me omissum falsariorum additamenta inhærere ego nunquam concedam neque Paleio, cuius causas ignoro neque Enthoveno (p. 26), quem suas etiam nunc tueri

[1]) noli neglegere numerum pluralem *πέτραι*: *Παλλάδος πέτρα* appellatur rupes arcis Athenarum Hipp. 30.

[2]) imaginem accuratam horum antrorum depictam vides apud Curtium et Kaupertum *Atlas von Athen Einl.* p. 21, quo ipso loco præsens eorum status descriptus est.

[3]) idem facit interpolator histricus versuum 283—288. compara v. 283 *Μακραὶ δὲ χῶρός ἐστ' ἐκεῖ κεκλημένος;* cum v. 288 *οὐδέν· ξύνοιδ' ἄντροισιν αἰσχύνην τινά.*

non credo. his igitur versibus Euripides duplici modo locum significat quo Creusa filium exposuerit[1]; eodem ipso concepisse virginem discimus e v. 16 sq. appellat autem *Κέκροπος ἄντρα*, quæ v. 936 *Κεκροπίας πέτρας* appellaverat[2]; Macrarum nomini adiungit epitheton *πετρηρεφεῖς* ‚rupibus confornicatas', quo illud vocabulum ad antra saxea pertinere apertissime testatur[3]). vide quam egregie mea de Macris probetur sententia. neque vero dubitabimus, quid sibi velit illud nomen *Μακραί*, de quo tam multa tamque varia disseruerunt viri docti[4]): spectat ad illum longum rupium eminentium et antrorum ordinem, qualem *αἱ κρανααὶ Ἀθῆναι* nisi in boreali arcis parte non habebant[5]).

plura discimus ex loco melico, quo nomen *Μακραί* certissime ab ipso Euripide scriptum est:

ὦ Πανὸς θακήματα καὶ
παραυλίζουσα πέτρα
μυχώδεσι Μακραῖς,
ἵνα χοροὺς στείβουσι ποδοῖν
Ἀγραύλου κόραι τρίγονοι
στάδια χλοερὰ πρὸ Παλλάδος
ναῶν, συρίγγων
ὑπ' αἰόλας ἰαχᾶς
ὕμνων, ὅταν αὐλίοις
συρίζῃς, ὦ Πάν,
τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις,
ἵνα τεκοῦσά τις
παρθένος, ὦ μελέα, βρέφος
Φοίβῳ, πτανοῖς ἐξώρισε θοίναν
θηρσί τε φοινίαν δαῖτα.

alloquitur igitur chorus *Πανὸς θακήματα* i. e. loca Panos sacra; quem in rupibus borealibus arcis Athenarum sub ipsis propylæis prope Clepsydram inde a Persarum bellis sacellum

---

1) quod sæpissime fieri non ignorat qui tragicos degustavit. cf. huius fab. v. 909 *χρυσέους θάκους καὶ γαίας μεσσήρεις ἕδρας.*

2) eo igitur referendum est *ἐνταῦθα* 939, de qua re non dubitare debebat Enthovenus l. l. p. 31, quod loci significatio nimis vaga vastaque esset.

3) cf. Aesch. Prom. 304 Eur. Cycl. 82 *πετρηρεφῆ ἄντρα*. Soph. Phil. 272 *ἐν κατηρεφεῖ πέτρῳ*. contrarium est *ἀνόροφοι πέτραι* Eur. Bacch. 38.

4) cf. Gœttlingium, *Gesammelte Abhandlungen* I. ‚*Die Apollogrotte der Akropolis von Athen*' p. 101 sq. Bursianum, *Geogr. von Griechenland* I p. 294. Curtium et Kaupertum, *Atlas von Athen Einl.* p. 20.

5) cf. Curtium et Kaupertum l. l. p. 20: ‚*Dann beginnt von der Nordostecke die Reihe der Grotten, welche sich durchschnittlich 20 M. von der Burgmauer entfernt, wie ein Gürtel an der Nordseite entlang ziehen.*' et paullo supra: ‚*Die Nordseite hat eine malerische Mannigfaltigkeit vorspringender Klippen und tiefer Höhlungen, welche bei jedem Sonnenstande ein anderes Bild darbieten*'. — ceterum nomen *μακρός* quasi nomen proprium Atheniensibus in deliciis fuisse probant *τὰ μακρὰ τείχη* et *ἡ μακρά* (sc. *στοά*), altera Athenarum, altera Piræei.

habuisse et multis scriptorum testimoniis [1]) et artis monumentis constat [2]). addit autem *πέτρα παραυλίζουσα μυχώδεσι Μακραῖς;* quod *παραυλίζουσαν* dicit, sapienti quidem satis significat non saxum sed *αὔλιον* intellegendum esse [3]), quod quin Panos sit, neminem spero fore qui dubitet [4]); hoc ipsum enim, ut e v. 938 sq. didicimus, Macris adiacet. iterum igitur poeta duplici modo eundem locum notavit. vides quam male fecerit Enthovenus l. l. p. 28, quod hoc ipso loco *Μακραῖς* in *ἄκραις* mutaverit; quæ coniectura quam falsa esset, satis eum poterat docere *Ἀπόλλων ὑποακραῖος* (*ὁ ὑπ' ἄκραις*), de quo tam multa disputavit. sed Macræ certissima Hermanni coniectura appellantur *μυχώδεις* i. e. angulorum formam præstantes vel angulorum pleni, quæ vox quam bene ad naturam antrorum illorum satis angustorum quadret iam supra explicatum est. sequitur illud *ἵνα,* quo male intellecto Enthovenus omnia pervertit: non revocandum est ad *Μακραῖς,* sed ad totam præcedentem *ἀποστροφήν.* de grammaticis insequentium versuum (495—502) rationibus tacebo, quoniam non semel probatum est ne literam quidem mutandam esse; hoc tamen addam *χλοερὰ στάδια,* in quibus Cecropis filiæ choreas ducere dicuntur, esse eadem prata Clepsydræ confinia, in quibus Apollo Creusam flores carpentem comprehendit et invitam in antrum abduxit (887 sq.). Pana, numen agreste, cum Cecropis filiabus rorem fertilitatemque largientibus coniunctum non est quod mireris; finxit ille artifex qui monumentum musei Worsleyani I 9, quod supra commemoravimus, sculpsit. postrema huius epodi verba ideo adscripsi, quod sunt fons interpolationis agitatissimæ v. 948. 949; sciolus, qui parum diligenter legit, *ἵνα* non solum cum *ἐξώρισε,* sed etiam cum *τεκοῦσα* coniunxit. quo tamen pateat hæc interpolatio, ne nunc quidem dicere audeo [5]).

iam si comprehendimus quæ de v. 492—506 disputavi, hoc quidem apparet totum locum sanissimum esse et optime cum iis convenire, quæ de Macrarum situ et natura supra exposui. duobus igitur locis Macras servavimus; etiam tertio loco me servaturum esse spero.

Euripidem res quas ad fabulas intellegendas scire necesse est, maxime personarum gravissimarum et locorum rationes, in prologis sermone satis dilucido spectatores docere inter omnes constat. quam legem in ea quam tracto fabula etiam ad Macras pertinere,

---

[1]) cf. Herod. VI 105 cum Paus. I 28 4 (locus corruptus). Simonid. fr. 133. Arist. Lys. 911 cum schol. Lucian. deorum dial. XXII 3.

[2]) duo monumenta lapidea cælata, quorum alterum prope propylæa repertum est; cf. Müllerum et Wieselerum l. l. II *Taf.* XLIII nr. 544 et *Taf.* XLIV nr. 555. nummos Athenienses, quorum alterum latus imagine arcis Athenarum signatum est, vide apud Leakium, *the topography of Athens,* et apud Ottonem Iahnium, Paus. descriptio arcis Ath. (ed. II cur. Ad. Michaelis) in primis paginis.

[3]) cf. Andr. 43 *δόμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον.*

[4]) ad *Πανὸς αὔλιον* cf. v. 522 et Arist. Lys. 721.

[5]) quod de v. 956—959 adnotavi in libello de prol. Eur. arte et interp. p. 43 adn. 1 etiam nunc teneo; maximam suspicionem movent v. 958. 959, in quibus etiam verbum *λιπεῖν* significare videtur Creusam, ubi primum in antro enisa sit, filium deseruisse. ceterum v. 955 *ἡμεῖς ἐν ὄρφνῃ σπαργανώσαντες πέπλοις* virgula ponenda est post *ὄρφνῃ,* quod locum attente perlegenti probare opus non est. v. 963 *ἐνταῦθ', ἵν' οὐκ ὢν ἄδικ' ἔπασχεν ἐξ ἐμοῦ,* quem cum multi tum ego diu corruptum putaveram, nunc sanum esse duco; artissime coniungendus est cum v. 961: ‚utinam puerum manus mihi obtendentem vidisses eo (sc. ad mammas et brachia 962), ubi cum non esset, iniuriam a me accipiebat‘.

qui locus personæ gravissimæ prima fata viderit, nemo negabit. et legitur sane Macrarum nomen in prologo; quos tamen versus miserrime corruptos esse omnes dolent.

8 ἔστιν γὰρ οὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις,
τῆς χρυσολόγχου Παλλάδος κεκλημένη,
10 οὗ παῖδ' Ἐρεχθέως [1]) Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις
βίᾳ Κρέουσαν, ἔνθα προσβόρροις πέτραις [2])
Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ τῆς Ἀθηναίων χθονὸς
Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἄνακτες Ἀτθίδος.

Vsenerus, cum locum interpolatorum additamentis amplificatum iudicaret, in brevius contrahendo sanare conatus est [3]); cui diu ipse assensus sum, nunc aliter sentio hac maxime causa ductus, quod cum alia tum Macrarum nomen delevit. consideranti autem eos quos attuli versus hoc statim apparebit tres primos et dimidium (*ἔστιν—Κρέουσαν*) esse sanissimos neque coniectura tangendos; apertum enim cod. P vitium (10) neminem morabitur. atque etiam v. 13 ipse quidem nullam præbet offensionem; nam *γῆς ἄνακτες Ἀτθίδος* sunt terræ Atticæ possessores, i. e. incolæ, quod probat cum Homericum *ἄναξ οἴκοιο* (α 397) tum Euripideum *σπαρτοὺς ἄνακτας τῆσδε γῆς ἱδρύσατο* (Phœn. 1008) [4]). latet igitur vitium in eo qui intercedit sesquialtero versu; quod facillima opera sustulerimus una literula dempta, addita interpunctione:

10 οὗ παῖδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις
βίᾳ Κρέουσαν, ἔνθα πρόσβορροι πέτραι
Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ τῆς Ἀθηναίων χθονός.
Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἄνακτες Ἀτθίδος [5]).

origo vitii videtur fuisse præpositio *πρός*. verbum *εἶναι* non solum si copulæ sed etiam si prædicati vim habet, interdum omittitur; cf. Suppl. 759 *ἔνθ' Ἐλευθερὶς πέτρα*. neque asyndeton v. 13, quippe quod sit notissimum illud explicativum, cuiquam offensioni fore spero [6]). poterat sane poeta v. 12 verba *τῆς Α. χθονός* omittere; tamen illic quidem super-

---

[1]) sic C. *παῖδ' ἐξ Ἐρεχθέως* P.

[2]) *προσβόροις πέτραις* P. *προσβόροις πέτραις* C. (ους / ας superscr.)

[3]) *Rhein. Mus.* XXIII p. 151 sq.

[4]) ad notionem verborum *ἄναξ ἄνασσα ἀνάσσειν* (compos, compotem esse) intellegendam cf. *χειρῶναξ, ἱππῶναξ, ψευδῶν ἄναξ* (Eur. Andr. 447), *ἄνασσα ἱππία* (Hipp. 307), *πηδήματος ἀνάσσων* (Aesch. Pers. 107). qua re non satis perspecta Iph. Taur. 17 *ὦ τῆσδ' ἀνάσσων Ἑλλάδος στρατηγίας* ipse obelo notaveram (de Eur. prol. p. 61), emendare conatus est Ioannes de Arnim (de Eur. prol. arte et interpolatione p. 72). versus est integerrimus: ,tu qui muneris imperatorii huiusce (i. e. hic congregatæ) Græciæ compos es'. cf. Soph. Phil. 139 *παρ' ὅτῳ τὸ θεῖον Διὸς σκῆπτρον ἀνάσσεται* = *ὅς τοῦ . . σκήπτρου ἀνάσσει.*

[5]) pronomen *σφὲ* qui desiderat, post verbum *γῆς* addat.

[6]) ad comparandum non solum propter asyndeton aptissimi sunt Aesch. Eum. v. 22—24

σέβω δὲ νύμφας, ἔνθα Κωρυκὶς πέτρα
κοίλη, φίλορνις, δαιμόνων ἀναστροφή·
Βρόμιος ἔχει τὸν χῶρον, οὐδ' ἀμνημονῶ.

et Eur. Iph. Taur. v. 1450—52

χῶρός τις ἔστιν Ἀτθίδος πρὸς ἐσχάτοις
ὅροισι, γείτων δειράδος Καρυστίας,
ἱερός· Ἁλάς νιν οὑμὸς ὀνομάζει λεώς.

vacanea non nocent. itaque etiam ex hoc loco lenissima mutatione ea elicuimus quæ poetam aliis locis de Macris docere vidimus, simulque detectus est fons intrusi versus 937.

perfecimus eam quam nobis proposueramus de Macris disputatiunculam; tamen antrum ipsum Apollinis cum Creusa concubitu præclarum nondum agnovimus. tradit autem Pausanias I 28 4: *καταβᾶσι δέ, οὐκ εἰς τὴν κάτω πόλιν ἀλλ' ὅσον ὑπὸ τὰ προπύλαια, πηγή τε ὕδατός ἐστι καὶ πλησίον Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἐν σπηλαίῳ · Κρεούσῃ δὲ θυγατρὶ Ἐρεχθέως Ἀπόλλωνα ἐνταῦθα συγγενέσθαι νομίζουσι.* sub propylæis igitur prope Clepsydram — neque enim est alius arcis fons — thalamus Apollinis fuit, in quo *ὑποακραῖος* vel *ὁ ὑπ' ἄκραις* cognominatus usque ad postrema rerum Græcarum tempora honorem habuit, cuius rei quattuor tituli testes sunt[1]). atque etiam Paneum in eadem urbis regione fuisse ex testimoniis supra allatis cognovimus. ubi igitur utriusque dei sacellum quæramus? ex Pausania, qui unus utrumque commemorat (I 28 4), nihil discimus; hiat enim eo ipso loco[2]). de tribus omnino antris cogitari potest; quorum unum minus profundum situm est intra propugnaculum Turcicum ab Odysseo a. 1822 amplificatum[3]); duo altera illi propinqua gemina sunt antrorumque septentrionalium arcis maxima[4]). iam viri docti horum trium antrorum alius aliud Apollini aut Pani tribuerunt. sed cum his in tanta testimoniorum penuria non litigo, nisi quod Gœttlingii sententia, qui illud primum antrum non ad septentriones sed ad occidentem vergens Apollini dedicatum vult, me defensorem non habebit. sed fuerunt etiam qui Pana et Apollinem in eodem antro collocarent; quorum qui sunt vetustiores Stuartius Leakius Beuleus in eam opinionem inducti sunt loco interpolato Paus. I 28 4; fraude detecta cadere videbatur illorum sententia[5]). at novis argumentis ex Ione petitis defendere studuit Enthovenus; dicit enim p. 36: ‚cum omnibus qui in censum veniunt locis excussis intellexerimus nusquam in Euripidis fabula Apollinis ullum antrum commemorari, sed in spelunca Panis a deo violari Creusam, Pausanias vero in Apollinis sacello id factum esse tradat, hæc discrepantia nullo modo tolletur, nisi statuemus unum idemque antrum et Apollinis et Panis sacra continuisse‘. qua in re mihi videtur errasse. ubinam dicit poeta in eo ipso antro, quod est apud Aristophanem *Πανὸς ταὐλίον* (Lys. 721), apud Herodotum *Πανὸς ἱερόν* (VI 105), Creusam violatam, Ionem expositum esse? tribus locis (10. 1399. 936) parum accurate in Macris illud factum esse tradit, nisi quod postremo quem attuli loco Panei mentione inserta (*ἔνθα Πανὸς ἄδυτα καὶ βωμοὶ πέλας*) spectatorum animos in illam regionem dirigit[6]). v. autem 503, ubi *ἵνα* non referri potest nisi ad *τοῖσι σοῖς* (sc. *Πανὸς*) *ἐν ἄντροις* non temere usus videtur numero plurali, cum paucis versibus ante *Πανός παραυλίζουσαν πέτραν μυχώδεσι*

[1]) CIA III 91. 92. *Mitth. des arch. Inst.* III p. 144. Philol. XXI p. 46 et XXII p. 85. cf. Pausaniam ed. O. Jahn[2] p. 36.

[2]) verba *καὶ Πανός*, quæ post *σπηλαίῳ*, et *περὶ δὲ τοῦ Πανός φασιν*, quæ post *νομίζουσι* legebantur, sunt additamenta Musuri.

[3]) in tabula arcis Athenarum Pausaniæ a Iahnio edito præfixa no. 51 signatur.

[4]) pulcerrime depicta habes apud Curtium et Kaupertum *Atlas von Athen Bl.* IX 4. descripserunt eidem *Einl.* p. 22. 23.

[5]) quæ causæ Bursianum *Geogr. von Griechenland* I p. 294 commoverint ut idem doceret nescio.

[6]) e v. 1482 *παρ' ἀηδόνιον πέτραν Φοίβῳ κρυπτόμενον λέχος ηὐνάσθην* nos quidem nihil discimus.

Μακραῖς commemorasset. Panos autem antrum si idem esset atque Apollinis thalamus, quid tandem prohibebat quominus missis omnibus ambagibus maximeque Macrarum vel Cecropiarum commemoratione illud unum diceret? at si Panos et Apollinis antra diversa sunt, cur tandem Apollinis specum ad hanc fabulam quam maxime pertinentem nullo loco commemorat? hoc poeta, qui curiose fabulæ rationem haberet, facere noluit. nam Apollinis antrum cum hanc unam ob causam deo dedicatum esset, quod ibi cum Creusa concubuisse ferebatur, quæ res eo quidem tempore quo mater filium expositum agnoscit, præter ipsam nemini nota fuisse fingitur, in fabula Ione Apollinis esse non poterat. itaque Euripides quamquam Pana Miltiadis demum ætate Apollini adiunctum esse probe sciebat, tamen rerum necessitate coactus temporum rationes pervertit. poetæ igitur indiciis si aliquid momenti tribuimus, collocandi videntur Pan et Apollo in antris illis geminis propugnaculo Turcico adiacentibus, alter in altero; quod si sumimus, simul intellegimus, cur poeta *Πανὸς ἄντρα* (*ἄδυτα*) apte dicere potuerit. eandem Panos et Apollinis cum societatem tum seiunctionem animadvertimus in Hymetti antro duplici aditu prædito, quod prope vicum nunc *Vári* dictum situm est; de quo disseruit Curtius *Atlas von Athen Einl.* p. 30, aliquot monumenta delineavit Adlerus ibid. *Bl.* VIII nr. 1 et 2.

III Ionis prologo quamquam et ipse[1]) et multi[2]) operam impertiverunt, tamen etiam nunc non uno loco interpretis mihi videtur indigere. nam ut prædicam quod assiduis studiis mihi persuasum est: continet ne unum quidem versum ab Euripide non scriptum. sed ut probem quod sentio, difficiliores huius prologi locos, quos in prioribus commentationibus non attigi, deinceps pertractabo; quod ut quam brevissime fiat, neque multis verbis cum aliis concertabo neque quod alii recte docuerunt repetam.

primis quattuor versibus, quibus Mercurius originem suam exponit, hoc maxime agit, ut spectatoribus talem se probet qualis in hoc prologo apparet, et deorum ministrum et ipsum deum. hinc illud *θεῶν*, in fine alterius versus magna cum vi pronuntiatum: *κακοφωνία* recta actoris declamatione prorsus evitari poterat[3]). Atlantis terga ahenea nemo præter Euripidem commemorat: finxit igitur poeta ut Titani *χάλκεον οὐρανόν* (*P* 425) gestanti aptissima. neque *Ἄτλαντα νώτοις οὐρανὸν ἐκτρίβοντα* ego ita interpretor, ut cælum versantem et tangendo paullatim deterentem fingam (vide Schœmannum l. l. p. 44) — quomodo enim fieri potest, quoniam tergo gestat? — sed Titan ingenti mole pressus cælum tergo (et tergum cælo) acriter terit (cf. Soph. Phil. 296). quod autem poeta gestandi notionem, quam nemo Græcus desiderabat, omisit, non magis vituperandus est quam Aeschylus, qui cautissime significavit Prom. 430 sq. *Ἄτλανθ', ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον νώτοις ὑποστενάζει*, quod verbum egregium vellem intactum reliquissent emendatores. restat crux illa philologorum, primi versus clausula: ego neque hunc neque similes tragicorum trimetros emendatione removendos esse tempore procedente mihi persuasi[4]).

[1]) l. l. p. 40.

[2]) novissimis temporibus tractarunt Eysertus ‚*über die Aechtheit des Prologs in Euripides' Ion*‘ (*Programm des Neustädter Gymn. zu Prag* 1880) et Ioannes de Arnim, de prologorum Eur. arte et interpolatione (Gryphiswaldiæ 1882) p. 14 sq. 27 sq. 41. 63 sq.

[3]) pæne risum movet excusatio quam affert Eysertus l. l. p. 22.

[4]) cf. Wecklinium, *Studien zu Aeschylus* p. 130 sq.

Ionis nati et expositi fata, quæ a v. 14 usque ad 27 narrantur, magnam præbent interpretandi materiam. *βρέφος* (v. 16) ad prædicatum pertinet: ‚cum parvulus esset‘; *ὡς θανούμενον* (v. 18) et *ὡς θανουμένῳ* (v. 27) non ad eventum a Creusa speratum, sed rerum natura instantem spectat; itaque mater filium, quem *ἄκουσα ἔκτεινεν* (v. 1500), pretiosis vestimentis (*χλιδῇ* v. 26) induit et oleastri coronam capiti eius imponit (v. 1433 sq.), ne mortuus honoribus funebribus privetur [1]. nomen Creusæ (v. 18) nostras quidem aures offendit; tamen animadverti Euripidem duarum sententiarum copulatarum subiectum commune non raro in fine prioris ponere solere (cf. e. g. Hec. 26). *εὐτρόχῳ κύκλῳ* (v. 19) mihi nunc quidem non videtur emendandum; nam quibus verbis Plato Tim. p. 37o translata notione usus est, quid est cur Euripidem propria vi usum esse negemus [2]? in versu insequenti *νόμος προγόνων τοῦ τε γηγενοῦς Ἐριχθονίου* ‚lex ab Erichthonio lata et a patribus liberis tradita‘ intellegenda est; Erichthonium nominat poeta ut priscum gentis auctorem, ad cuius nomen historia fabulosa, quæ ad versum præcedentem intellegendum necessaria est, bene applicari possit. hæc autem ipsa (v. 20—26), ut par est, parentheseos formam habet: hinc illud *ἀλλ'* v. 26, quo oratio ad propositum redit, id quod nemo, quantum video, perspexit. sed in Erichthonii fabula *φρουρώ* (v. 22), quamquam minime necessarium est, tamen ut notio generalis præmissa tolerari potest [3]; *Ἐρεχθείδαις* (v. 24) non accurate dicit poeta, cum *Ἐριχθονιάδαις* dicere debeat, quod tamen vocabulum in usu non erat. neque vero verba *ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις τρέφειν τέκνα* (v. 25) me vexant, postquam Xenophontem simili modo de rebus corpori ornando inservientibus loqui vidi Cyrop. IV 5 54 *καὶ γάρ, ἔφη, μάλα πως ἡμεῖς οὐκ ἐν χλιδῇ τεθράμμεθα ἀλλὰ χωριτικῶς, ὥστε ἴσως ἂν ἡμῶν καταγελάσαιτε, εἴ τι σεμνὸν ἡμῖν περιτεθείη* [4]. quod autem Creusa filio exposito ista monilia, quæ sine dubio quasi quoddam amuletum erant, induit, probat quantopere servari eum cupiverit; tamen, ut supra vidimus, etiam morituri curam habebat. totum igitur locum satis me spero et illustrasse et defendisse, nisi quod vocem *ἐκεῖ* (v. 24) critico feliciori emendandam relinquo.

pauca addenda sunt ad v. 28—56, quibus quomodo Apollo Mercurii opera usus infantem Delphos transportaverit et a Pythia educandum curaverit enarratur. v. 32 satis vindicavit Ioannes de Arnim; minus probo, quod idem post *κρηπίδων* (38) particulam *τὲ* inseri iussit. nam quid Mercurio faciendum fuerit e mandato Apollinis accuratissimo (29—36) satis intellegitur. quare vituperandum non est, quod prior pars sententiæ insequentis infantem, posterior canistra neglegit; quæ tamen ne obliviscantur spectatores poeta addit: *ἀναπτύξας κύτος εἱλικτὸν ἀντίπηγος, ὡς ὁρῷθ' ὁ παῖς.* v. 51, quamquam minus necessarium esse concedo, tamen non iam abicio, postquam verbi *ἐπίστασθαι* cum accusativo personæ iuncti exempla repperi Ar. eq. v. 1218 *νῦν δ' Ἀρίγνωτον γὰρ οὐδεὶς ὅστις οὐκ*

---

[1]) de coronis mortuorum cf. Eur. Phœn. 1632 cum schol. Arist. Eccl. 538. Plut. Pericl. 36.

[2]) *εὔτροχος κύκλος* idem est quod Plato paullo ante appellat *κύκλος ὀρθός* ‚orbis perfectus‘. cf. *περίπτυγμ' ἀντίπηγος εὐκύκλου* 1391.

[3]) interpungendum est igitur post *παραζεύξασα.*

[4]) utrum spectatores Athenienses *ὄφεις χρυσηλάτους* aurea monilia esse statim intellexerint, ... fuisse concluditur e v. 1431, an hoc poeta divinandum reliquerit, diiudicare non audeo. Menandrum ...ocabulo armillas notasse testatur Hesychius.

ἐπίσταται et [Lucian.] asin. 1 p. 568 εἴπερ ἐπίστανται ἄνδρα οἰκοῦντα ἐς τὰ Ὕπατα: hic usus vulgaris sermonis videtur esse. neque vero v. 52—56 nisi singula nimis prementi difficultates parant; nam cum ad Ionem omnis templi et donariorum cura fuerit delata (ἡμεῖς τὰ γ' ἔξω 414), non miramur quod χρυσοφύλαξ θεοῦ et ταμίας πάντων appellatur [1]).

v. 67—75 [2]), in quibus vulgo vaticinium inesse dicitur, re vera continent Apollinis consilia a Mercurio spectatoribus patefacta. quæ quomodo præter Apollinis opinionem (οὐ λέληθεν ὡς δοκεῖ 68) comperta habeat, cum ne poeta quidem nobiscum communicare necessarium duxerit, nos quoque neglegamus. hoc autem aperte dicit Mercurius ista consilia fati iura temptare [3]). fabulæ autem ipsius actio Apollinis cum fato certamen continet, quo victum esse Apollinem Minerva in epilogo profitetur (1566—1568). itaque is quem tractamus locus spectatoribus voluptatem fabulæ spectandæ nullo modo præripit. minus recte omnes, quod sciam, iudicarunt de verbis κτίστορ' Ἀσιάδος χθονός (74), quæ ad αὐτόν referenda sunt: ‚hunc (filium Apollinis), Asiæ colonum, Ionem per Græciam nominandum curabit' [4]). appositum autem addidit poeta, ut spectatores in ipso fabulæ initio se clari illius gentis suæ proavi fata spectaturos esse meminissent.

pervenimus ad prologi conclusionem (v. 76—81), cuius initium sic interpungendum est:

ἀλλ' εἰς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε,
τὸ κρανθὲν ὡς ἂν ἐκμάθω παιδὸς πέρι ·
ὁρῶ γὰρ κτλ.

Mercurius v. 77 causam finalem, v. 78 sq. causam materialem abeundi indicat. nam cum Ionem servaverit, multum eius interest scire, quid fatum de Apollinis filio perfecturum sit (τὸ κρανθέν v. 77, part. perfecti futuri). v. 79 falsa est quam multi probarunt Wakefieldi coniectura προναοῦ pro πρὸ ναοῦ scribentis; neque enim pronaus, sed templum ipsum πυλώματα habet: tradita lectio, quæ verbo ἐκβαίνοντα egregie respondet, mordicus tenenda est. postremis prologi versibus

ὄνομα δ', οὗ μέλλει τυχεῖν,
Ἴων' ἐγὼ [σφε] πρῶτος ὀνομάζω θεῶν

Mercurius significat se eo nomine uti nolle, quod Apollinis filio, cum infans esset, datum fuerit — quod cum ad fabulam non pertineat, ne comperimus quidem — sed illo quod postea habiturus sit. eo autem nomine ab Apolline invento et a deorum ministro cælitus delato Mercurius primus in terra usus Ionem e templo prodeuntem salutat et spectatoribus ostendit.

IV In hanc quartam postremamque huius libelli particulam interpretationes et emendationes aliquot Ionis locorum congeram. vellem multo maior esset eorum numerus; sed incerta proponere nolui.

---

[1]) fallitur Ioannes de Arnim, qui Ionem v. 94—101 ceteris ministris imperare dicit (p. 64). cf. p. 10 adn. 5. v. 52 lego ἀμφὶ βωμίους τροφάς i. e. ἀμφὶ βωμοὺς τροφίμους cf. v. 323 et Schœmannum l. l. p. 54.

[2]) de verbis ἔρωτι παίδων (67) vide I. de Arnim l. l. p. 41.

[3]) τὴν τύχην εἰς τοῦτ' ἐλαύνει (68).

[4]) quod poeta Ionem, qui Asiæ colonis et originem et nomen dederat (cf. 1581 sq.), ipsum κτίστορ' Ἀσιάδος χθονός appellat, non miramur. ceterum alii ipsum Ionem colonias illas deduxisse putabant; cf. Vell. Pat. I 4. Vitr. VI 1.

Ion postquam sacerdotes Delphicos in Castaliæ undis lautos ad templum vocavit, sic pergit v. 98:

στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν,
φήμας τ' ἀγαθὰς
τοῖς ἐθέλουσιν μαντεύεσθαι
γλώσσης ἰδίας ἀποφαίνειν.

sic libri. mittam omnes conatus infaustos; hæc est sine dubio duarum sententiarum inter se respondentium (*εὔφημον* — *φήμας, ἀγαθόν* — *ἀγαθάς*) notio: ‚et ipsi linguis favete et oraculum consulturos exemplo vestro linguis favere docete‘. hanc vim elicies lenissima v. 101 mutatione:

γλώσσης ἰδίας ἄπο φαίνειν.

infinitivum iubendi notione post imperativum positum non video cur reprehendam, quoniam non solum Homerus (*π* 150), sed etiam Aristophanes (Ach. 1000) atque Herodotus (VI 86 1. VII 159) hac constructione usi sunt. *στόμα εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν* idem est atque *εὐφημοῦντες στ. ἀ. φ.* præpositionis *ἀπό* vim instrumentalem cum ex aliis dicendi formulis novimus (Troad. 772) tum e locutione *ἀπὸ γλώσσης* (cf. Bacch. 1049), plerumque, ut hoc loco, cum dicendi verbis coniuncta (*ἀπὸ γλώσσας φθέγξατο* Pind. Olymp. VI 13; *εἰ χρεὼν τοῦθ' ἁμετέρας ἀπὸ γλώσσας κοινὸν εὔξασθαι ἔπος* Pyth. III 2; Herodot. I 123; Thucyd. VIII 10).

in præclara illa oratione, qua Ion rei publicæ Atheniensium statum, qualis non heroum ætate, sed ipsius Euripidis temporibus fuit, describit, tres civium partes distinguit. quarum primo loco plebem ponit, quæ omnes viros ad maiora enitentes oderit; ceteras partes et quid studeant his verbis complectitur:

ὅσοι δὲ χρηστοὶ δυνάμενοί τ' εἶναι σοφοὶ
σιγῶσι κοὐ σπεύδουσιν εἰς τὰ πράγματα,
γέλωτ' ἐν αὐτοῖς μωρίαν τε λήψομαι
οὐχ ἡσυχάζων ἐν πόλει φόβου πλέᾳ.
τῶν δ' αὖ λογίων τε χρωμένων τε τῇ πόλει
εἰς ἀξίωμα βὰς πλέον φρουρήσομαι
ψήφοισιν.

altera igitur pars ii sunt qui rem publicam capessere possunt sed nolunt, tertia ii qui et possunt et volunt. v. 598 sanissimus est; idem enim significat atque *ὅσοι δὲ δυνάμενοι χρηστοὶ σοφοί τε εἶναι*: particula *τὲ* non vulgari modo posita multos perturbavit. *ἀνὴρ χρηστός* est civis qui de re publica administranda bene meretur, *σοφός* qui eloquentia præcellit, id quod versu insequenti probatur. v. 602 nondum emendatum sic restitui mihi est persuasum:

τῶν δ' αὖ λόγῳ τε χρωμένων τε τῇ πόλει

i. e. *τῶν δ' αὖ λόγῳ τε τῇ τε πόλει χρωμένων.* iterum particula *τὲ* non satis intellecta et olim librarios fefellit et nostræ ætatis editoribus verum occultavit.

Xuthi responsum, cuius initium sic traditur in codicibus (650):

παῦσαι λόγων τῶνδ', εὐτυχεῖν δ' ἐπίστασο·
θέλω γὰρ οὗπέρ σ' ηὗρον ἄρξασθαι, τέκνον,
κοινῆς τραπέζης δαῖτα πρὸς κοινὴν πεσὼν
θῦσαί θ' ἃ σου πρὶν γενέθλι' οὐκ ἐθύσαμεν

nisi quod P aperto vitio v. 651 ἐλθών præbet, GHermannus coniectura temptaverat, magis perturbavit Enthovenus l. l. p. 48 sq. nihil omnino mutandum est in loco integerrimo. rectissime enim dicit Xuthus se eo ipso loco, quo filium invenerit (i. e. in sacro peribolo), cena una cum filio celebranda initium consuetudinis victus, qua Athenis usurus sit, esse facturum. virgula igitur ponenda est post τραπέζης. bene opponit poeta δαῖτα i. e. cenam semel factam τραπέζῃ i. e. cenæ consuetudini; cf. Eur. apud Ath. IV p. 158 e ἀρκεῖ μετρία βιοτά μοι σώφρονος τραπέζης. Or. 9 [Tantalus] θεοῖς κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον. Theocr. XIII 38 οἱ μίαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν. verba οὗπερ σ' ηὗρον etiam ad Xuthi sacrificium referri nec necesse est nec poeta voluit. duplex Xuthi consilium et sacrificandi et cum puero cenandi chorus v. 804—807 pædagogo et Creusæ prodit; ad cenam instruendam maritum σκηνὰς ἐς ἱερὰς se contulisse dicit. quod quomodo sciret chorus, multi frustra quæsiverunt. at audiverat cenam in peribolo fieri — hinc illud ἱεράς — amicorumque Ionis πλήρωμα ad eam adhiberi (664), novisse autem eum morem Delphicum tabernaculorum exstruendorum, quem supra tetigi, facile sumere possumus. vides chorum Xuthi verba οὗπερ σ' ηὗρον suo ingenio paullulum amplificata repetere. e v. 650—653 etiam emendationem v. 804—807 peto, quos recte traditos esse Enthovenus mihi non persuasit:

φροῦδος δ', ἵν' εἰδῇς πάντα τἀπ' ἐμοῦ, γέρον,
παιδὸς προθύσων ξένια καὶ γενέθλια
σ κ η ν ά ς τ' ἐς ἱερὰς τῆσδε λαθραίως πόσις
κοινῇ[1]) ξυνάψων δαῖτα παιδὶ τῷ νέῳ.

cum his locis plane concinit, quod Creusa pædagogum ad cædem Ionis eo ire iubet ἵν' ἡμῖν βουθυτεῖ λάθρᾳ πόσις (1031) i. e. ad cenam in tabernaculis apparatam (cf. βουθύτῳ σὺν ἡδονῇ de cena dictum 664). pædagogus autem, qui Ionem v. 982 φίλους θοινᾶν dicit, non magis hoc quidem compererat quam chorus, qui Xuthum ad Parnasum se contulisse videtur scire v. 712—717[2]). vides igitur Euripidem, ut repetitiones evitaret, duobus vel tribus locis rerum minimarum quarundam cognitionem personis tribuisse, quam re vera non habebant, nullo autem loco secum ipsum pugnare.

pædagogi verba v. 927 sq.

κακῶν γὰρ ἄρτι κῦμ' ὑπεξαντλῶν φρενὶ
πρύμνηθεν αἴρει μ' ἄλλο σῶν λόγων ὕπο,
οὓς ἐκβαλοῦσα τῶν παρεστώτων κακῶν
μετῆλθες ἄλλων πημάτων κακὰς ὁδούς

qui post præstantem Musgravii coniecturam καινάς pro κακάς scribentis corrupta putarunt, locum non satis intellexerunt[3]). τῶν παρεστώτων κακῶν poeta iunctura satis nota usus ab ἄλλων pendere voluit: ‚quæ (verba) prolocuta novas vias calamitatum ingressa es a præsentibus malis diversarum'. alter igitur genetivus alterum regit: quæ verborum structura ne falso intellegeretur poeta verborum positione prohibere voluit nec potuit.

[1]) valde mihi placet Kirchhoffii coniectura κοινήν scribentis, sed necessaria non videtur.
[2]) plus ex loco corruptissimo et lacunoso concludere non audeo; itaque in ceteris prætermisi.
[3]) virorum doctorum sententias composuit neque ipse quidquam profecit Reuscherus, annotationes ad locos aliquot Ionis Euripideæ (*Progr. des Gymn. zu Potsdam* 1859) p. 11.

in alia quoque huius fabulæ parte parum intellecta non uno loco librorum lectionem defendam: altercationem dico acutissimam Creusæ supplicis et Ionis, quæ legitur a v. 1282—1311.

ΚΡ. ἀπεννέπω σε μὴ κατακτείνειν ἐμὲ
ὑπέρ τ' ἐμαυτῆς τοῦ θεοῦ θ' ἵν' ἕσταμεν.
ΙΩΝ. τί δ' ἐστὶ Φοίβῳ σοί τε κοινὸν ἐν μέσῳ;
ΚΡ. ἱερὸν τὸ σῶμα τῷ θεῷ δίδωμ' ἔχειν.
ΙΩΝ. κᾆτ' ἔκτανες σὺ φαρμάκοις τὸν τοῦ θεοῦ;
ΚΡ. ἀλλ' οὐκέτ' ἦσθα Λοξίου, πατρὸς δὲ σοῦ.
ΙΩΝ. ἀλλ' ἐγενόμεσθα, πατρὸς δ' οὐσίαν λέγω.
ΚΡ. οὔκουν τότ' ἦσθα · νῦν δ' ἐγώ, σὺ δ' οὐκέτ' εἶ.
ΙΩΝ. οὐκ εὐσεβής γε · τἀμὰ δ' εὐσεβῆ τότ' ἦν.

sic iste locus scribendus et interpungendus est. v. 1287 Creusa Ionis verba τὸν τοῦ θεοῦ impugnat, cum dicit Ionem eo tempore quo ipsa eum interficere conaretur, non Apollinis sed Xuthi fuisse. cui Ion σοφιστικῶς respondet se nondum fuisse sed factum esse, patris scilicet, quod ne quis aliter intellegat, poeta verbis apertis addit. eo ipso enim tempore, quo Creusa Ioni insidiabatur, Xuthus natalicia celebrabat, quibus filius patris fiebat. at Creusa primam gravissimamque sententiæ suæ partem οὐκέτ' ἦσθα Λοξίου (1287), quam Ion nec refutaverat nec refutare poterat, verbis οὔκουν τότ' ἦσθα, ergo tum quidem Apollinis non eras' (1289) summa vi repetit. locus igitur citatissime, ut par est, ab actoribus recitatus vitiis caret[1]). sed cetera videamus; versus eo ordine scribam quo in libris traditi sunt.

ΚΡ. ἔκτεινά σ' ὄντα πολέμιον δόμοις ἐμοῖς.
ΙΩΝ. οὔτοι σὺν ὅπλοις ἦλθον εἰς τὴν σὴν χθόνα.
ΚΡ. μάλιστα · κἀπίμπρας γ' Ἐρεχθέως δόμους.
ΙΩΝ. ποίοισι πανοῖς ἢ πυρὸς ποίᾳ φλογί;
ΚΡ. ἔμελλες οἰκεῖν τἄμ' ἐμοῦ βίᾳ λαβών.
ΙΩΝ. πατρός γε γῆν διδόντος ἣν ἐκτήσατο.
ΚΡ. τοῖς Αἰόλου δὲ πῶς μετῆν τῶν[2]) Παλλάδος;
ΙΩΝ. ὅπλοισιν αὐτὴν οὐ λόγοις ἐρρύσατο.
ΚΡ. ἐπίκουρος οἰκήτωρ γ' ἂν οὐκ εἴη χθονός.

respondet Creusa v. 1291 ad id quod Ion v. 1286 rogaverat; quæ intercedunt quasi ἐν παρέργῳ disputantur. insequentes versus (1292—1295) verbum πολέμιον interpretantur; novum quasi cardinem altercationis v. 1295 præbet. ac primum quidem Ion, ut supra Creusa fecerat (1287), postrema versus verba ἐμοῦ βίᾳ λαβών negat; quæ rixa continuatur usque ad v. 1299, quo Ion devincitur. λόγοις v. 1298 vituperandum non est; solet enim addi, ut vis vocabuli oppositi (ἔργον, πρᾶγμα, ὅπλα) augeatur; cf. El. 893 ἥκω γὰρ οὐ λόγοισιν ἀλλ' ἔργοις κτανὼν Αἴγισθον. —

[1]) hoc iam scripseram, cum vidi HGloëlium nuperrime eundem locum tractasse (*Fleckeisens Jahrbücher* CXXVII (1883) p. 731), ne literam quidem mutavi.

[2]) restituit Wilamowitzius Anal. Eur. p. 28 ex codd. PC.

ΙΩΝ. κἄπειτα τοῦ μέλλειν μ' ἀπέκτεινες φόβῳ;
ΚΡ. ὡς μὴ θάνοιμί γ', εἰ σὺ μὴ μέλλων τύχοις.
ΙΩΝ. φθονεῖς ἄπαις οὖσ', εἰ πατὴρ ἐξηῦρέ με.
ΚΡ. σὺ τῶν ἀτέκνων δῆτ' ἀναρπάσεις δόμους;
ΙΩΝ. ἡμῖν δέ γ' ἀλλὰ πατρικῆς οὐκ ἦν μέρος;
ΚΡ. ὅσ' ἀσπὶς ἔγχος θ'· ἥδε σοὶ παμπησία.

Ion postquam verba ἐμοῦ βίᾳ λαβών aggressus nihil profecit, verbo κἄπειτα ad priorem partem sententiæ ἔμελλές οἰκεῖν τἀμὰ transit: hæc concertatio complectitur v. 1300—1305 iterumque Ion inferior est. v. 1302 contendit Ion non φόβον sed φθόνον Creusam ad cædem impulisse; at Creusa a proposito aberrantem illuc redire cogit. iam Ion, ut causam suam magis magisque labentem sustineat, ad postremum argumentum confugit: ‚si minus novercæ at patris possessio mea esse debebat'; quam tamen nullam esse Creusa eum edocet. vide quam bene inter se respondeant v. 1303 et 1304: σύ — ἡμῖν; τῶν ἀτέκνων (i. e. Creusæ) — πατρικῆς (i. e. Xuthi). Nauckius igitur Kirchhoffius Herwerdenus versibus 1296—1299 inter 1303 et 1304 intrusis et artissime iuncta disiunxerunt et totius diverbii ordinem perturbaverunt. restat ut pauca adnotem ad v. 1306. 1307:

ΙΩΝ. ἔκλειπε βωμὸν καὶ θεηλάτους ἕδρας.
ΚΡ. τὴν σὴν ὅπου σοι μητέρ' ἐστὶ νουθέτει.

ironiam tragicam verborum Creusæ nemo non intellegit; Ion hoc certe audit: ‚tu impera matri tuæ servæ (cf. 819. 837), si quidem reperire poteris, non mihi Atheniensium reginæ'.

agmen claudat emendatio v. 1396, qui cum præcedenti sic legitur in codicibus PC:

ΚΡ. τί δῆτα φάσμα τῶν ἀνελπίστων ὁρῶ;
ΙΩΝ. σιγᾶν σὺ πολλὰ καὶ ΠΑΡΟΙΘΕν ΟΙΣΘΑ μοι.

σίγα σύ correxit LDindorfius; totum versum sic lege:

ΙΩΝ. σίγα σύ· πολλὰ καὶ ΠΑΡΟΙΘ' ΕΦΗΣΘΑ μοι.

locum me emendasse et verba ipsa et altercatio, quam supra interpretatus sum, satis probant.
